

V O T A · E T M O T I V A
REGIÆ AVDIENTIÆ.

IN Dei nomine, Amen. Nouerint vniuersi, quòd anno á Natiuitate Domini nostri Iesu Christi Millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, die verò, quæ computabitur nona mensis Dezēbris apud Ciuitatem Cæsaraugustæ presentis Regni Aragonum, & in Camera Regij Consilij Civilis prædicti Regni, interuenerunt, & fuerunt præsentēs Magnifici Domini Antonius Augustinus de Mendocça ordinarius Assessor, Martinus Godino, Hieronymus Marta, Ioannes Franciscus Salazar, & Dominicus de Escartin Regij Cōsiliarij ordinarij. **CORAM** quibus fuit positus processus Petri Valaguer super apprehensione, in quo omnes quinque Domini de dicto Regio Consilio concordēs, fuerunt voti, & opinionis, quod **ATTENT.** content. Dominus Regens officium generalis gubernationis prædicti Regni, tenetur, & debet pronuntiare, & mandare fieri contenta in propositione Dominici Varon, & Elisabetis Çornoça coniugum, principalium Ioannis Ludouici Perez Procuratoris, pro quantitate decem mille solidorum Iaccensium tantum iuribus suis durantibus, & eis finitis contenta in proportione Hieronymæ Monçon, viduæ principalis Ferdinandi Sanchez Procuratoris, respectu quantitatē decem mille solidorum Iaccensium, tantum iuribus suis durantibus vna, cum expensis deducendis á supra dicta quātitate, cuius respectu eius propositio recipitur, & eis finitis contenta in propositione Petri Valaguer principalis Iosephi los Vayos, Proc. præstita prius respectiue cautione forali alijs propositionibus repulsis, reseruatis iuribus reseruari suplicantibus, neutrá partium in expensis demptis prædictis taxandis cōdēnādo, cætera supplicata locū nō habere. **EX EO,** & aliàs recipitur propositio Dominici Varon, & Elisabetis Çornoça principalium Ioannis Ludouici Perez procuratoris, pro quātitate decē mille solidorū Iaccensium, quia constat Valerium Quintana defunctum fuisse do-
A minum,

48
minum, & possessorem domorum apprehensarum, & in suo ultimo testamento, prædictam quãtitatem legasse suprãdictæ Elifabeti Çornoça, non autem mandatur eisdem solui expensas, quia non constat heredem fuisse requisitum, vt prædictum legatum solueret, iuribus autem suprãdictis finitis recipitur propositio Hieronymæ Monçon viduæ principalis Ferdinandi Sanchez procuratoris respectu quantitatis decem mille solidorum Iaccensium. Quia constat dictum Valerium heredem suum instituisse Doctorem Simeonem Monçõ, qui instrumētum comandæ concessit in fauorem dictæ Hieronymæ Monçon, quantitatis duodecim mille solidorum Iaccensium, cuius vigore dictam obtulit propositionem, quæ non recipitur nisi respectu quantitatis decem mille solidorum, quia dictus Valerius vt ex infra dicendis aparebit tantum poterat disponere ex bonis paternis in quantitate vigintimille solidorum, solutisque decem mille legati dictorum Dominici Varon, & Elifabetis Çornoça tantum remanēt alij decem mille, quorum propositio respectu dictæ Hieronymæ Monçon recipi possit, non enim potest obtinere in maiori quantitate, quam debita heredi instituto, à quo ius & causam habet per hipotecam in dicto instrumento comandæ contentam. Prædictis autem iuribus finitis recipitur propositio Petri Valaguer, & recipitur propositio dicti Doctoris Simeonis Ioannis Monçon principalis Ferdinandi Sanchez procuratoris, quia constat domos apprehensas fuisse Doctoris Dominici Quintana, qui in suo ultimo testamento diuersis legatis relictis, instituit suum heredem dictum Valerium Quintana, eius filium expressa conditione adiecta quod si decederet ante quam matrimonium contraheret, vel statum religionis eligeret tantum disponere posset de quantitate vigintemille solidorum, residuum autem suæ hereditatis, & dicti viginti milli solidi, si dictus heres decederet minor quatuordecim annorũ peruenirent in Elifabetam Ioannam Quintana eius filiam, si tunc non esset religiosa, ea autem religiosa existente in dictum Petrum Valaguer, quo testamento condito per eius obitium dictus Valerius hereditatem fuit adeptus eoque decedente maiori quatuordecim annorum, & antequam eligeret statum matrimonij, vel religionis instituto herede Doctore Simeone Ioanne Monçon orta fuit lis, & contentio inter dictum heredem Valerij, & inter Petrum Valaguer substitutum in testamento dominici Quintana patris, ille bona ex fideicomisso petit
alter

alter autem libere potuisse Valerium disponere contendit, re autem mature perpensa & dispositione dicti Doctoris Quintana diligenter inspecta pro fidei comisso iudicium ferendum decreuimus, dictus enim testator in supradicta dispositione diuersos considerauit cassus, & in quolibet eorum diuersas fecit dispositiones, herede enim instituto statum eligente voluit, quod libere disponere posset de omnibus bonis hereditarijs, eo autem decedente maiore quatuordecim annorum, & ante electionem status tantum permisisit disponere de quantitate vigintimille solidorum, & in residuo vocauit substitutos, herede tandem decedente minore quatuordecim annorum quia tunc non poterat praedicta facultate disponendi uti, ne quantitas vigintimille solidorum ad heredes ab intestato pertineret, voluit & expresse disposuit, quod etiam praedicta quantitas in dicto casu in quo de ea non poterat heres testari in fideicomisso comprehenderetur, & simul cum residuo hereditatis ad substitutos perueniret, quae intelligentia tam ex litera quam ex mente disponentis satis comprehenditur si enim diceremus Valerium habuisse bona libera decedente maiori quatuordecim annorum & expressam contradictionem, & repugnantiam in dicta dispositione admitteremus contra iuris regulas, testator enim in prohibitione per eum adiecta antequam heres perueniret ad statum matrimonij, vel religionis loquutus fuit de tempore in quo esset maior quatuordecim annorum, ea enim & aetas legitima in qua regulariter dictus status eligi, & consequi potest, si ergo statim quod ad pubertatem perueniret libere disponere poterat de omnibus bonis hereditarijs, contrarium & repugnans erat praedictae prohibitioni, rursus supradicta intelligentia manifeste deprehenditur: ex illis verbis dispositionis statim post prohibitionem adiectis, quando testator digressus fuit ad substitutionem vocationem ibi, (*y todo lo demas de la presente mi vniversal herencia*) quae verba manifeste comprehendunt casus precedentis, & immediatè prohibitionis, disponit enim testator de residuo hereditatis in casu in quo residuum poterat considerari, habito respectu ad quantitatem vigintimille solidorum, quae deducenda erat ex bonis hereditarijs per dispositionem dicti heredis in casu, quo praedicta dispositio ei permitebatur, videlicet quando decederet ante electionem status, in hoc tantum casu poterat verificari remanere residuum de ductis vigintimille solidis; ergo in eodem sunt vocati substituti per dicta verba, de residuo disponentia & ad substitutos relata, & deinde prudens consilium testatoris nouum casum

lum præueniēdo disposuit, quōd si heres intra pubertatem decederet prædicta quantitas vigintimille solidorum cum residuo hereditatis vniretur. Ita quod in hoc casu vniuersa hereditas per fidei commissum ad substitutos perueniret, hanc intelligentiam tam ex litera, quam ex mente testatoris verissimam atque omnino amplectendam iudicamus eademque circa dispositionem paternam habuisse Valerium filium ex eius testamento manifeste aparet, vnde cum dictus Valerius tantum potuisset de quantitate vigintimille solidorum, quæ iam est comprehēsa in propositione Dominici Varon, & Elisabetis Cornoça pro legato eidem relicto, & in propositione Hieronymæ Monçon tanquam ius habentis a dicto Doctore Monçon herede Valerij, mediante supradicta hipoteca, ideo propositio dicti Doctoris Monçon heredis omnino reijcitur, recipitur oblata a dicto Petro Valaguer vocato per fidei commissum modo supradicto, reijcitur etiam ex supradictis præpositio Abbatissæ monialium, & Conuentus Sanctæ Catherine, & Elisabetis Ioannæ Quintana Religiosæ dicti Cōuentus, principalium Petri Hieronymi Passamar procuratoris respectu medietatis bonorum dicti Doctoris Dominici Quintana, respectu autem pactis Engratiæ Buil eius vxoris, quia eam obtulerunt virtute successionis ab intestato prædictæ Engratiæ Buil, constat autem testamentum condidisse ex quo successio ab intestato excluditur aliæ propositiones reijciuntur, & repeluntur, quia non probarunt, nec publicatunt & aliās, Aten. Cont.

SI. G. **X** num mei Iosephi Iubero Scribe mandati sue Maiestatis ac Casaraugustæ domiciliati, autoritateque Regia per totam terram, & Dominationem Domini nostri Regis publici Not. qui huiusmodi vota, & opiniones à registro, siue libro Regij Consilij Civilis de anno supradicto, ubi continuata existunt extraxi, et cum eo bene, & legalitir comprobauit in quorum fidem, hoc meo solito signo signauit: **X** Constat de enmendatis ubi legitur, ij, etur.